

etiam D. Thomas 1, 2, quæst. 73, art. 5 et 7. Ratio etiam hoc videtur convincere, quia species ultima non est amplius contrahibilis essentialiter, sed hæc circumstantia, de qua agimus, supponit in actu ultimam aliquam speciem honestatis, quam haberet, seclusa illa circumstantia; ergo non potest specificè contrahere, sed addere novum aliquid. Item hæc circumstantia, quæ supervenit, non destruit omnia principia, quæ sufficiunt ad aliam honestatem, vel malitiam specificam: ergo non potest tollere ultimam speciem quam haberet, seclusa tali circumstantia: ergo non contrahit, sed addit. Tertio, quia differentia unius generis non contrahit, nec mutat speciem in alio genere contentam, sed interdum actus sine tali circumstantia habet malitiam intemperantiæ, et circumstantia addit malitiam injustitiæ: non est ergo illa essentialis contractio.

9. *Ad motiva primæ opinionis in num. 6.*—Atque hæc sententia, formaliter ac proprie loquendo, vera est, et revera convincunt argumenta facta: nec ratio in contrarium, in fine n. 6, obstat; quia licet illud objectum videatur unum materialiter, tamen formaliter et in ratione convenientis potest esse diversum: sicut idem objectum materialiter potest esse delectabile et honestum, præsertim quia si res attente consideretur, circumstantia quæ additur, non intrat illud objectum ut habens priorem honestatem. Dixi, *proprie et formaliter loquendo*, quia interdum materialiter, præsertim in speciebus peccatorum, solet illa species per modum unius declarari, præsertim quando illæ species semper sunt conjunctæ, et præterea sumet denominationem ab eo, quod magis movet operantem, ut de adulterio dixit Cajetanus, citato loco; interdum vero ab ea, quod gravius est, ut furtum in loco sacro dicitur sacrilegium. Deinde illud etiam addidi, quia interdum fieri potest ut conditio, seu circumstantia addita mutet conditionem ex parte materiæ necessariam ad priorem honestatem, ut injuria, quæ est ad alterum, si addatur conditio personæ, quæ mutet illum respectum ad alteram, transferet totum actum ab una specie ad aliam: qua ratione injuria facta Deo est alterius rationis ab ea, quæ fit homini: et fortasse eodem modo injuria facta parenti, ut sic desinit esse proprie injustitia, et est impietas: et idem potest contingere in actibus bonis: tamen quando ita accidit, jam non contrahitur prior species ad ulteriorem, sed contrahitur ratio aliqua generica, quæ sumitur ex objecto ut abstrahit ab illis determinatis conditionibus,

ut est in exemplis positus, ratio ad alterum, sive sit Deus, sive homo, sive parens, sive extraneus. Quando autem contingat conditionem esse hujusmodi, non potest certa aliqua regula definiri, sed consideranda est materia, et principia rationis, per quæ regulanda est.

10. Ex his autem intelligitur quomodo hæc circumstantiæ, quæ mutant speciem, dicantur accidere actui in esse moris, nam si considerentur, quatenus constituunt objectum talis virtutis, vel vitii, non accidunt, sed sunt veluti conditiones essentielles talis objecti formaliter sumpti: solum ergo dicuntur accidere ad invicem, et mutuo ex parte subjecti, ut sumitur ex D. Thoma 1, 2, q. 7, a. 1, quia unicuique earum accidit, ut habeat aliam sibi conjunctam in eadem materia: sicut in physicis dicitur album accidere musico, non quia directe unum sit accidens alterius, sed quia utrique accidentarium est, ut in eodem subjecto sit alterum. Unde constat hanc rationem accidentis esse mutuum, quia non est major ratio de uno, quam de alio; quanquam in his rebus moralibus interdum contingit unam ex his circumstantiis fere semper præsupponi ad aliam, aut esse magis intrinsecam materiæ circa quam versatur actio, et tunc illa, quæ est posterior, vel remotior, dicitur potius accidens alteri, quam e contrario, ut in adulterio, injustitia dicitur circumstantia luxuriæ, vel intemperantiæ, quia hæc inordinatio est magis intrinseca illi materiæ.

11. Sed quæres, utrum circumstantiæ non solum sibi accidant in eodem subjecto, sed etiam quodammodo directe afficiendo, et aggravando moraliter speciem sumptam ab altera circumstantia, ita ut non solum adulterium aggravetur ex injustitia quasi extensive per multiplicationem malitiarum, sed etiam quasi intensive ipsa intemperantia fiat gravius ex adjuncta injustitia, nam juxta communem modum loquendi prior modus videtur verior, nam hæc circumstantiæ condistinguuntur ab illis, quæ augent intra eandem speciem: ergo istæ non augent intra eandem speciem, sed tantum addendo novam speciem: ergo non augent quasi intensive, sed solum extensive. Confirmatur primo, nam forma accidentalis non auget bonitatem, nisi juxta illud esse, quod confert, quia bonum sequitur ens, sed hæc circumstantiæ solum dant novum esse accidentale diversæ speciei: ergo non aliter augent bonitatem. Confirmatur secundo a simili in scientiis, nam quod una conclusio possit duobus mediis specie differentibus manifestari

evidenter, neutrum eorum reddit evidentius, vel clarius, sed utrumque simul facit conclusionem evidentiorem extensive, id est, pluribus mediis: ergo idem est de bonitate proportionaliter.

12. In contrarium vero possunt objici varia exempla, nam sine dubio intemperantia adulterii in propria specie videtur gravius, quam in simplici fornicatione: unde si fingamus ab illo actu separari injustitiam, ut aliqui fieri existimant, quando alter conjux consentit, quia scienti et volenti non fit injuria; nihilominus ipsa malitia intemperantiæ semper maneret gravius. Deinde sacrilegium factum in loco sacro per furtum ibi commissum, est gravius ex circumstantia furti, quam si esset aliud genus peccati. Præterea in metaphysica contractione generis et differentiæ contingit non solum totam speciem constitutam per differentiam perfectiorem et nobiliorem, sed etiam ipsam rationem genericam quasi per concomitantiam esse ibi magis perfectam: ut, verbi gratia, rationem animalis in homine: ergo similiter potest esse in præsentibus; nam in rebus moralibus concomitantia unius rei cum alia solet illi addere quamdam dignitatem et existimationem moralem, ut virtus et scientia, licet sint perfectiones diversarum rationum, tamen si simul jungantur, sese mutuo nobilitant.

13. Circa hoc quamvis utrinque appareat res probabilis, mihi tamen non videtur esse necessarium ut una circumstantia ex his auget aliam in propria illius specie: furtum enim factum in templo quoad objectivam malitiam injustitiæ non augetur, si in quantitate rei ablata, et in aliis conditionibus sit æqualitas. Et ratio est, quia cum alia circumstantia sit diversæ rationis, per se loquendo, non esse necesse ut mutet ordinem ad rationem, quem habet alia circumstantia in sua specie. Adde tamen duobus modis posse accidere ut ex hoc capite augeatur malitia in actu, et constituatur in alia specie, primo ex parte quantitatis in quantum auget voluntarium, quod non pertinet ad malitiam objectivam, sed ad formalem. Atque hoc sensu videtur dixisse D. Thomas, 2, q. 154, a. 1, ad 2, in adulterio non mere per accidens se habere deformitatem injustitiæ ad deformitatem luxuriæ, auget enim illam: et declarans modum, subdit: *Ostenditur enim luxuria gravius, quæ in tantum concupiscentiam sequitur, ut etiam injustitiam inducat.* Alter modus esse potest ex parte objecti, si contingat talem circumstantiam mutare aliquo modo ordinem ad rationem, quem habet

alia, ut in exemplo posito de sacrilegio, ipsamet acceptio rei alienæ in sacro loco, auget injuriam ipsi loco factam: unde quoad hoc non se habet ut mutans speciem, sed tanquam augens deordinationem intra latitudinem sacrilegii: neque enim repugnat eandem rem in ordine ad diversa utramque rationem inducere: quando autem ita contingat, ex materia et ex principiis rationis, quibus regulatur pensandum erit.

14. *De tertio genere circumstantiarum.*—Tertio, circa alias circumstantias quæ non mutant speciem, sed augent, constant ex dictis formaliter in eis non procedere conclusionem numero quarto positam, quia hæc circumstantiæ per se non sunt necessariae ad speciem bonitatis, vel malitiæ: tamen proportionem servata applicari potest eadem doctrina ad individuum et singularem bonitatem, quæ est in tali objecto, nam sicut specifica bonitas consurgit ex objecto et conditionibus essentialibus: ita in individuo consurgit ex omnibus circumstantiis, quæ possint illam augere intra eandem speciem. Ex quo colligi potest differentia inter bonitatem specificam et individuum, quod illa potest multiplicari, secundum speciem in eadem actione juxta diversas conditiones ejus, hæc vero est una tantum numero, sive parva, sive magna sit, juxta varias circumstantias: sicut pulchritudo, vel sanitas, etiamsi consurgat ex multis rebus, una numero est, magis, vel minus perfecta: et ratio est quia ibi est unitas specifica et vanitas subjecti: ergo et unitas individualis.

15. *Primum dubium circa hoc tertium genus.*—Sed occurrunt duo dubia explicanda, unum est an hæc singularis bonitas prout consurgit ex materia et circumstantiis, sit divisibilis, vel indivisibilis. Et respondetur breviter primo, hanc bonitatem simpliciter esse compositam, atque in hoc sensu posse dici divisibilem, prout dicit D. Thomas, in 2, d. 36, a. 5, ad 1, et Scotus, d. 40, quæst. unica, præsertim ad 3, et quodlib. 18. Et constat, quia ibi concurrunt plures res secundum varias convenientias suas ad componendam unam integram convenientiam moralem: et declaratur etiam exemplo pulchritudinis et sanitatis. Adde secundo, si consideremus solas conditiones necessarias ad honestatem specificam, quodammodo dici posse moraliter indivisibilem bonitatem ex illis consurgentem, quia quidquid auferas ex illis conditionibus, dissolvitur species in ratione honesti simpliciter dicti, quia id quod manet, revera non est objectum honestum simpliciter:

sicut pulchritudo et sanitas possunt dici consistere in indivisibili saltem quoad eam proportionem, quæ requiritur ad sanitatem, vel pulchritudinem simpliciter: vel sicut etiam species numeri, licet composita est: tamen quoad hoc indivisibilis est, quod ablata quæcumque unitate solvitur tota species: Et ratio generalis reddi potest, quia ratio specifica semper consistit in indivisibili, et quoad illam non datur magis et minus. Unde concluditur tertio, si sermo sit de bonitate hac individua quoad augmentum ex circumstantiis non simpliciter necessariis ad bonitatem specificam, sed tantum ad melius esse, ut sic, esse simpliciter et moraliter divisibilem, quia, ablato aliquo gradu illius bonitatis seu circumstantia, aut conditione unde sumitur, manet adhuc eadem bonitas, licet minor, quod est facile exemplis ostendere.

16. Sed objices, nam licet hæc locum habeant in bonitate, non sic in malitia: quin potius ex dictis sequi videtur malitiam non posse augeri, neque minui, ex defectu circumstantiarum, quia vel illæ circumstantiæ sunt debitæ actui ad bonitatem specificam, vel requiruntur solum ad majorem bonitatem: hæc posteriores non faciunt actum malum, sed relinquunt minus bonum, quia non sunt requisiti ad bonitatem simpliciter; priores vero tales, ut quæcumque ablata auferatur tota bonitas: ergo jam est tota malitia quæ esse potest: ergo non poterit augeri, neque minui, quia in privatione totali non datur magis, neque minus: consequens autem est falsum, quia non solum in bono, sed etiam in malo dantur circumstantiæ augentes, vel minuents intra eandem speciem. Respondetur, doctrinam datam etiam habere locum in malitia. Ad argumentum vero factum responderi potest ex D. Thoma, in 4, d. 16, quæst. tertia, articul. secundo, quodlib. 1, ad 3, licet privatio integra in se non recipiat magis aut minus, recipere tamen in causa, aut in fundamento: ex quo fit ut subjectum magis sit longatum a positiva forma. Sic ergo quamvis malitia privet tota bonitate specifica, ex defectu cujuscumque circumstantiæ debitæ, tamen quo plures circumstantiæ defuerint, eo malitia erit censenda major in fundamento et radice. Secundo magis hoc explicando dicitur, licet ablata una circumstantia debita, illud quod manet non sit simpliciter honestum, retinet tamen eam convenientiam, quam habet, ratione cujus potest cum aliis concurrere ad honestatem componendam. Quo sensu verum est quod dixit divus

Thomas, in 2, d. 36, articul. quinto, ad 1, ablata bonitate circumstantiarum manere bonitatem ex genere, quamvis illa non sit bonitas simpliciter, ut statim addit ad secundum: dici tamen a nobis potest honestas inchoata, seu initium honestatis: ob hanc ergo causam quanto actus fuerit privatus pluribus convenientiis partialibus, tanto malitia poterit esse major, quia plus destruit de bonitate ipsa: sicut quamvis ablata una unitate auferatur species numeri, tamen si omnes auferantur, vel plures, magis destruetur ille numerus.

17. *Secundum dubium.*—Sed hinc occurrit dubium secundum qualis sit hæc compositio bonitatis ex circumstantiis, intra limites ejusdem speciei, an sit tanquam ex partibus heterogeneis, atque adeo ex bonitatibus, vel malitiis partialiter diversis; an vero tanquam ex partibus omnino similibus. Duo enim possunt esse dicendi modi: unus est totam bonitatem, vel malitiam consurgentem ex materia cum circumstantiis esse omnino ejusdem rationis quoad omnes partes suas, quia licet circumstantiæ in esse physico videantur esse diversæ rationis, tamen in causanda bonitate sunt veluti causæ æquivocæ influentes ad eundem omnino effectum. Hoc autem ita esse declaratur exemplo, nam si homo dives det centum in eleemosynam, ille actus melior est ex circumstantia *quid*; si autem pauper det duo, ille actus est æque bonus ex circumstantia *quis*: ergo ex circumstantiis diversarum rationum in suo esse potest consurgere eadem bonitas. Simile exemplum esse potest in prodigalitate, quæ deficit per excessum in dando: hic autem excessus oriri potest ex persona dante, quia est supra facultatem ejus: vel ex persona recipiente, quia abundat, et tamen malitia ejusdem rationis est. Dices has circumstantias reduci ad unam quantitatem materiæ, quæ non est absoluta, sed relativa. Sed hinc formari potest universalis ratio, quia omnes circumstantiæ in tantum conferunt ad bonitatem, in quantum constituunt unum medium virtutis; quamvis ergo in sua entitate sint diversæ, tamen in habitudine ad medium quod constituunt, inducunt eandem rationem: ergo ut sic potest ex omnibus illis consurgere bonitas ejusdem rationis. Confirmatur primo, nam supra dicebam, numero decimo secundo, circumstantiam dantem speciem malitiæ posse aggravare aliam speciem intra propriam rationem ejus: ergo non hoc facit dando suam speciem malitiæ, sed aliquem gradum alterius: ergo pari ratione quælibet circumstantia, licet

in suo esse sit diversa, potest conferre bonitatem vel malitiam ejusdem rationis. Tandem confirmatur, quia alias fere nulla esset diversitas inter circumstantias mutantem speciem et aggravantes: unde tam necessarium esset has confiteri, sicut illas quia mutant speciem partialem. Alter dicendi modus est hanc compositionem esse heterogeneam ex partibus diversarum rationum, quam tenet aperte Conradus 1, 2, quæst. decima octava, art. secundo, agens de malitia formali: est autem eadem, vel major ratio, nam formalis ab objectiva desumitur: et similiter erit idem de bonitate, quia malitia proxime sumit rationem suam ex bonitate qua privat: et revera videtur hæc opinio D. Thomæ, locis statim citandis, et mihi videtur vera recte explicata.

18. Dicendum igitur compositionem bonitatis objectivæ ex diversis circumstantiis diversarum rationum, et ex materia in suo esse, et convenientia partiali ad rectam rationem, esse tanquam ex partibus heterogeneis. Ratio hujus est, quia omnia illa conveniunt ad componendam unam integram honestatem, non tanquam causæ extrinsecæ, seu efficientes, sed tanquam causæ seu partes intrinsecæ, eo modo quo plures partiales figuræ concurrunt ad unam figuram domus, vel sicut color, figura, etc., conveniunt ad componendam pulchritudinem: quando autem ea quæ sic componunt, sunt diversarum rationum in se, necessario faciunt compositum constans ex diversis rationibus partialibus: unde non potest hic accommodari quod, numero præcedenti, dicebatur de causa æquivocæ, quia illa si sit extrinsecæ, non componit effectum: si autem sit intrinsecæ, ut materia et forma, eadem ratio de illa procedit. Atque ex hac ipsa ratione intelligitur hanc sententiam non esse intelligendam de omnibus omnino circumstantiis, sed tantum de illis quæ per se sunt diversarum specierum; fieri enim potest ut in aliqua circumstantia sit etiam latitudo ejusdem rationis, ut est quantitas ejusdem materiæ, vel fortasse duratio temporis, aut intensio actus, nam sicut animal, quamvis constet ex partibus heterogeneis, nihilominus in ipsis partibus heterogeneis sunt aliquæ homogeneæ inter se, ita in præsentibus: et hoc certe voluisse videtur D. Thomas 1, 2, quæst. septuagesima tertia, articul. septimo, ubi ait circumstantias quæ non mutant integram speciem interdum augere peccatum, augendo omnino eandem deformitatem, ut quantitas objecti: et hunc modum augmenti dicit aliis locis fieri per modum intensionis,

ut videre licet in 4, d. 16, quæst. tertia, articul. secundo, quæstiunc. 1, ad 2, et quæst. 2, de Malo, articul. septimo, ad 4 et 7: *Alius modus augmenti est* (inquit) *multiplicando deformitatem seu rationem mali in eodem actu, ut si actio* (inquit D. Thomas) *fit quando non debet, etc.*

19. Sed adhuc est in hoc considerandum ex doctrina ejusdem D. Thomæ, 1, 2, quæstione decima octava, articul. decimo, et decimo primo, interdum circumstantiam quæ in suo esse videtur esse diversæ rationis, non ratione sui conferre ad bonitatem et malitiam actus, sed tantum ratione alterius circumstantiæ, in quam hæc redundat: interdum vero per se ipsam conferre. Exemplis declaratur, nam in actu temperantiæ naturalis necessarium est ut debito tempore fiat, tamen hoc tempus non est per se debitum, sed solum ut homo comedat quando indiget, quod redundat in quantitatem cibi, quia si antea comedat, sumet ultra quantitatem necessariam: at vero in jejunio ecclesiastico comedere tali tempore et non antea, est per se necessarium ad honestatem, et non solum ob debitam quantitatem cibi, et ex natura rei: idem intelligi potest in actu sacrificii: quod enim fiat decenti loco, est per se necessarium ad honestatem, si in re oblata, seu in materia omnia necessaria concurrant. Sententia ergo posita intelligenda est de circumstantiis quæ hoc posteriori modo concurrunt, de quibus solis procedit ratio facta, non vero de aliis, quia illæ ut sic non tam concurrunt formaliter et intrinsece, quam ut causæ, vel conditiones extrinsecæ.

20. *Ad motiva in contrarium in nu. 16.*—Ex hisque patet responsio ad exempla adducta, numero decimo sexto, in primo argumento, in contrarium cum prima confirmatione. Ad illud vero quod dicebatur de medio virtutis, respondetur non semper esse simplex et homogeneum, sed sæpe esse compositum, et quasi temperatum ex multis rebus. Ad ultimam vero confirmationem in fine ejusdem numeri decimi sexti: primo negatur simpliciter consequentia, quia circumstantiæ quæ simpliciter dicuntur mutare speciem, talem conferunt bonitatem, vel malitiam, ut quælibet per se sit integra et totalis, et nihil cum alia componat, sed solum veluti materialiter jungantur in eodem objecto: at vero circumstantiæ aggravantes, vel conferunt bonitatem et malitiam omnino ejusdem rationis, vel si conferant diversam, est in ordine ad componendam unam integram bonitatem. In quo est differentia inter malitiam et bonitatem, nam quia malum

est ex singulis defectibus, unaquæque circumstantia etiamsi sola sit, simpliciter confert malitiam: tamen quia bonum est ex integra causa, licet singulæ circumstantiæ tribuant suam convenientiam, tamen una separata ab aliis, non habet rationem honestatis, seu bonitatis simpliciter. Quod vero de confessione dicebatur, respondetur primo non spectare ad præsentem quæstionem, quia homo non debet confiteri bonitatem, vel malitiam objectivam actus, sed formalem: fieri autem potest ut quamvis in objecto sit bonitas composita et divisibilis, in actu sit formalis bonitas indivisibilis, ut infra videbimus: et idem posset quis opinari de malitia; licet non satis consequenter. Et ideo addo ulterius; si plures malæ circumstantiæ diversarum rationum tales sint, ut unaquæque sufficiat per se ad dandam actui malitiam mortalem, concedendam esse sequelam, scilicet omnes necessario esse confitendas, sive dicantur mutantes speciem, sive notabiliter aggravantes: ut si quis consecraret hostiam in fermentato pane, et in privata domo, absque vestibus sacris, omnes has circumstantias confiteri tenetur, quia revera singulæ conferunt malitiam mortalem: si autem circumstantia non confert mortalem malitiam, non est necesse illam explicare, quod verum est etiamsi integram speciem addat, vel mutet, ut fortasse est in peccato facto in die festo.

21. *Regula D. Thomæ quando ne circumstantia mutet speciem vel augeat præcedentem.*—Atque ex dictis in hoc dubio intelligitur optime quomodo sit applicanda ad malitiam, vel bonitatem objectivam regula quam D. Thomas tradit 1, 2, quæst. decima octava, art. 10 et 11, ad cognoscendum quando circumstantia addat speciem, vel tantum novum augmentum in eadem specie, nam si circumstantia in se talis est, ut per se considerata, et ratione sui det bonitatem, vel malitiam, etiamsi non sit adjuncta cum alia, tunc intelligitur dare, vel mutare speciem: si autem circumstantia ex se non sufficit ad dandam malitiam, vel bonitatem, sed solum ut adjuncta alteri, seu determinata ab altera, tunc non confert novam speciem, sed auget intra eandem. In qua regula hæc posterior pars est per se satis clara, ut patet in exemplis de intensione, et de multitudine quantitatis: et ratio est, quia hæc circumstantiæ secundum se non dicunt determinatum ordinem ad rationem, sed sunt veluti indifferentes, donec per alias determinantur. Prior vero pars ut sit universalis, sicut est intentio D. Thomæ, ut patet ex solutione argumen-

torum, articul. 11, et ex aliis locis supra citatis, primo intelligenda est de ordine unius circumstantiæ ad aliam, secundum rationis principia, et consequenter de separatione unius malitiæ, seu bonitatis ab alia secundum formalem rationem, non semper secundum rem, nam interdum accedere potest ut in aliquo actu semper in re ipsa una malitia supponat aliam, et nihilominus sumatur ex circumstantiis mutantibus speciem ut patet de adulterio, in quo injustitia semper supponit intemperantiam, et nihilominus sunt malitiæ speciei diversæ, quia et per principia diversæ rationis regulantur, qualia sunt non esse contractandam rem alienam invito domino, et vagum concubitum esse secundum rationem repugnantem speciei humanæ, et ita secundum formales rationes una est separabilis ab alia, cujus signum est, quia licet fingamus ob ignorantiam vitari malitiam intemperantiæ, semper maneret malitia injustitiæ. Secundo intelligenda est illa pars non solum de specie totali, sed etiam de partiali, quia ex circumstantiis variis possunt in eodem actu oriri diversæ malitiæ partiales, quarum una non habet respectum ad aliam, quod magis contingit in malitia, quam in bonitate, quia, ut supra tactum est, et explicat D. Thomas in 4, d. 16, q. tertia, a. secundo, quæstiuncula 3, ad 2. Quod si quis velit intelligere illam regulam de solis speciebus totalibus, oportet ut dicat primam circumstantiam quæ confert speciem bonitatis, vel malitiæ transire in rationem objecti primarii: cæteras vero quæ augent ut sic necessario supponere aliam, quæ dat speciem. Atque ita ex his omnibus constat quomodo ex omnibus generibus circumstantiarum oriatur bonitas, vel malitia objectiva: quod est principale hujus sectionis institutum.

22. *Quid de circumstantiis minuendis bonitatem, aut malitiam.*—*Cur circumstantiæ aggravantes sint confitendæ, non minuendæ.*—Solum posset quis interrogare cur nihil dicamus de circumstantiis quæ solent dici minuendæ intra eandem speciem. Respondetur, quia hæc circumstantiæ, præsertim sumptæ ex parte objecti proprie ac positive, nullæ sunt quæ minuant, sed tantum negative possunt dici minuere, quia si non adhibeantur, nihil conferunt. Quod sic explicatur, nam vel circumstantia minuens bonitatem tollit aliquid necessarium ad bonitatem simpliciter; et hæc vere non minuit, sed tollit bonitatem, et ponit malitiam; si vero tollit aliquid non necessarium ad bonum, sed conferens ad melius esse, sic nul-

lam bonitatem tollit, sed solum non dat quod posset conferre si adhiberetur, unde potius illa est negatio circumstantiæ; vel si dicatur circumstantia, est impertinens, quia nec confert bonitatem, nec malitiam. Et idem est proportionaliter de circumstantia, quæ dicitur minuere malitiam, quia si illa est circumstantia indifferens, nec minuit, nec auget; si est mala, semper dat aliquam malitiam, unde quantum est ex se auget: si vero est bona, non dat malitiam et fortasse impedit aliam circumstantiam, quæ illam daret, attamen non tollit aliquam malitiam, quam objectum et aliæ circumstantiæ darent: illa non existente: quia, ut sæpe dictum est, quilibet defectus confert totam malitiam quam potest conferre, etiamsi aliæ circumstantiæ videantur convenientes. Atque ex hac doctrina intelligitur ratio a priori, ob quam circumstantiæ aggravantes sint per se de necessitate confessionis, non vero illæ quæ dicuntur minuendæ, quia homo debet aperire in confessione malum quod fecit, non autem quod non fecit. Dico autem *per se*, quia si sit necessarium ad tollendam aliquam deceptionem, aut ne videatur confiteri plus quam fecit, poterit esse necessarium, sed per accidens.

23. *Ultima assertio.*—Ultimo dicendum, ex fine extrinseco et per accidens, qui solet dici finis operantis, nullam bonitatem, vel malitiam objectivam resultare in medio, seu objecto, quod ordinatur ad talem finem. Hæc conclusio sumitur ex D. Thoma, 1, 2, quæst. 20, articul. 1 et 2, ubi in hoc sensu dicit bonitatem quæ est in objecto, prius esse in actu exteriori, quam interiori: bonitatem autem sumptam ex fine prius esse in interiori, quam in exteriori, quia nimirum talis bonitas non præsupponitur in objecto, sed tantum per extrinsecam denominationem ad illud manat ex actu interiori voluntatis. Ratio autem hujus sumitur ex eodem D. Thoma 1, 2, quæst. decima octava, articul. sexto, quia finis ut finis non attingitur a potentia executiva, qualis est illa a qua procedunt actus exteriores, sed attingitur a voluntate, cujus est respicere finem ut objectum: ergo in actione exteriori secundum se, et antecedit voluntatem, nulla esse potest bonitas objectiva ex fine extrinseco, quia ut sic nullam habet habitudinem ad illum, ut exemplis etiam facile patet, nam elemosyna, præcisa relatione operantis, non habet honestatem religionis, aut pœnitentiæ.

24. *Instantia.*—Dices: Sicut voluntas ex objecto bona supponit in objecto honestatem, ita voluntas bona ex fine supponit hoc objec-

tum, scilicet ordinare hoc in illud, esse bonum: ergo etiam hic actus supponit bonitatem objectivam sicut ille. Respondetur, si *ordinare* sumatur *actualiter*, ut vox significat in rigore, non est bonum ut objectum, sed ut actus voluntatis, quia ordinare medium ad finem est proprius actus voluntatis eligentis; si autem sumatur aptitudinaliter, id est, *esse ordinabile*, sic nullam bonitatem dicit intrinsecam medio ut sic, sed tantum denominationem extrinsecam a fine in ratione appetibilis, et voluntate, potest unum ob aliud amare, vel eligere: in ipso autem medio solum dicit entitatem ejus, et virtutem fortasse, quam habet ad causandum hunc, vel illum effectum, quod totum in ratione appetibilis informatur a fine, ut dixi initio tractatus primi.

DISPUTATIO III.

DE FORMALI BONITATE ACTUS INTERIORIS VOLUNTATIS IN COMMUNI.

Divus Thomas in præsentis materia hunc servat ordinem, ut prius disputet in communi de actu humano ut abstrahit ab interno et externo, postea in particulari de interno, et deinde de externo: de bonitate autem et malitia, non separatim, sed promiscue tractat. Verum quod attinet ad bonitatem et malitiam moralem formalem, actus interior et exterior solum analogice conveniunt, ita ut interior intrinsece talis sit, exterior vero solum per denominationem extrinsecam ab interiori, et ideo sub hac ratione nihil fere dici potest quod sit utrique commune. Rursus bonitas et malitia habent modum valde diversum et in suo esse et in ratione, quia vel ab objecto, vel a fine desumuntur: ac denique cum opponantur sicut habitus et privatio, fere nihil habent commune, et cognitio habitus præsupponitur ad cognitionem privationis. Hac ergo de causa dicemus prius de bonitate actus interioris, postea de malitia, vel indifferentia utriusque, et de harum oppositione, principiis et causis, ac tandem omnia accommodabimus ad actus externos.

SECTIO I.

Utrum possit esse in hominis voluntate aliquis actus moraliter bonus absolute et simpliciter.

1. *Pars negativa hæreticorum.*—In hac re fuit hæresis Lutheri, omnes actiones hominis